



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 78. Hujus Colloquii exitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. tum explebat negotium, irrito tamen
A.C. 1584. successu, quippe in quodam conventu
 hanc in rem Bearnæ habito fancieba-
 tur, ut Navarræ Rex in sua secta con-
 stans permaneret, ac nullatenus Au-
 lam accederet.

§. LXXVIII.

Hujus colloquii exitus.

Paulopost celebris Mornæus Plessius,
 qui apud Navarræ Regem pluri-
 mum auctoritate, & gratia valebat,
 hujus colloquii relationem publici juris
 fecerat, eo fine, ut jactanter Prote-
 stantibus, quod ipsorum Caput in sua
 Secta constans, firmumque persistat, ob
 oculos poneret, hacque ratione unio-
 nis vinculum, quo invicem colligati
 essent, arctius constringeret: verum
 Catholici, qui majori Religionis studio
 animati diffensionum flammam inter Se-
 ctarios magis accendere satagebant, hu-
 jus Viri oratione utebantur, ut Hen-
 ricum æque, ac Navarræ Regem in-
 visos redderent, quapropter in vulgus
 spargebant, quod Espernonius in Bear-
 niam venisset nequaquam pacis consti-
 tuendæ causa, aut Navarræ Regem
 ad Majorum sacra reducendi studio, sed
 id factum dicebant, ut in Catholicorum
 perniciem occultum cum Navarro,
 & Sectariorum factione foedus iniret,
 cum

cum certum esset, quod Navarrus ob-
firmatus in sectario veneno persevera-
ret, sicque foret, ut tunc, cum Navar-
rus proximus regni Successor putare-
tur, Regemque sine liberis decedere
contingeret, rerum summa in Sectario-
rum potestatem veniret, & Majorum
Religio summopere periclitaretur. Id
in urbibus per emissarios evulgatum,
& in agris inter nobilitatem sparsum,
mirum quantum ad ciendos animos
momentum habuit, nam statim plebs
fremere, concionatores ex ambone vā-
nis terroribus audientium animos im-
plere cæperunt, hinc habebantur etiam
ubique cœtus, & copiarum delectus: in-
super spargebatur, Belliduces clam fuisse
designatos, eosque nondum cognitos,
qui tamen, cum opus esset, mox ad
signa convenirent. Rex, cum non jam
cum solis Protestantibus, sed magis
cum Guisianis sibi negotium esse cer-
neret, cunctis hisce malis obviare sta-
tuit, eapropter omnes secretas fœdera-
tiones, societates, & delectus prohi-
bebat, pœna in eos, qui hæc attenta-
rent, aut alios ad ea facienda sollici-
tarent, læsæ Majestatis sancita. In
eam rem Rex, cum ad S. Germani fanum
in Laja esset, diploma tertia Idus No-
vembris ad Senatum misit, ut ibidem
hoc mandatum in tabulas referretur.

K 3

§. LXXIX.

Sæcul. XVI.
A.C 1584.